



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 42. Dissidium in Castella de Successione Isabellæ

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

In ejusdem laudes plurimum excurrit saecul. XV.
A.C. 1474.
 Rodericus Santius Palentiae in Hispania
 Episcopus, qui etiam in hujus Regis obitu
 historiam suam absolvit. Hunc postea
 Paulus II. Castrum S. Angeli Romae Praefectum creavit.

§. XLII.

*Diffidium in Castella de Successione
Isabellæ.*

Rege Henrico fatis functo, atroci bello
 flagrabat Castella. Eo tempore Isabella
 Segobiae agebat, quam honorandi
 studio adibant Cardinalis Hispaniae, Alfonso
 Henriquez summus militiae apud
 Castellanos Praefectus, Sentillana Marchio,
 Dux Albenfis, Regni Connestabilis, Cueva
 Albuquerqueii Dux, Comes de Trefigno,
 pluresque alii, qui omnes Isabellam
 tanquam Castellae & Legionis Reginam
 venerabantur. Nec segnius primariae
 Regni urbes suos ad eam ablegant
 Oratores, qui submissionis ac obsequii
 homagium deferrent. Ex altera parte
 Villena Marchio Pacheconis filius, Anevalensis
 Dux, Rodericus Tellez, Comes de Aregna,
 & magnus Calatravae Magister Joannam
 velut Reginam salutabant. Ferdinandus,
 qui tum cum Patre suo Caesar Augustae
 haerebat, vix
 com-

Sæcul. XV. comperto Henrici leviri sui obitu, protinus Segobiam venit, ut uxoris suæ jura tueretur.

§. XLIII.

Ordinum comitia; necnon Ferdinandum inter & Isabellam conventa.

Magna inter Proceres animorum contentione agitabatur quæstio, an Ferdinandus proprio vel non nisi uxorio nomine tanquam Isabellæ maritus in Regno Castellæ succederet. Hanc in rem coguntur Ordinum comitia, ubi inter Proceres conventum, foeminas e linea recta descendentes jure successionis potiores esse masculis lineæ collateralis, idque antiquis, crebrisque hæreditatis foemineæ exemplis comprobarunt. Nilominus Isabella, ut suum in Ferdinandum amorem, ac sinceram cum conjuge suo unionem luculento demonstraret argumento, gratum, ratumque habebat, ut Ferdinandus sibi in regiminis consortium adscisceretur, ac deinceps in Regiis tabulis, edictis, ac monetis prius Ferdinandi, dein Isabellæ nomen exprimeretur, atque in gentilitio Castellæ scuto Arragoniæ insignia adjungerentur; præterea sancitum, ut Isabellæ nomine omnes Castellæ arces obtinerentur, ac quæstores vectigalia administrarent; beneficia